Quelle: https://manuscripta.at/?ID=41832
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

salomonis. Ceterorum autem nemo se audebat coniungere illis sed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credencium in domino multitudo virorum ac mulierum ita vt in plateis eijcerent infirmos et ponerent in lectulis et grabatis: vt veniente petro saltem vmbra illius obumbraret quemq; illorum: et liberaren tur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem multitudo vicinarum ciuitatum in hierusalem offerentes egros et vexatos a spiritibus immundis qui curabantur omnes

Alleluia v. Veni sancte spiritus replete tuorum corda fidelium: et tui amoris in eis ignem accende

Secundum Iohannem

In illo tempore: Dixit iesus turbis iudeorum. Nemo potest venire ad me: nisi pater qui misit me traxerit eum. Et ego resuscitabo eum: in nouissimo die. Est scriptum in prophetis. Et erunt omnes docibiles dei. Omnis qui audiuit a patre et didicit: venit ad me. Non quia